IN SOLEMNITATE PATROCINII BEATÆ SEMPER VIRGINIS MARIAE.

Octo Priores lectiones sumuntur ex Sermone Sancti Augustini, qui legitur in festo Annuntiationis.

LECTIO SANCTI EVANGELII SECVNDVM LVCAM.

IN Illo tempore: extollens vocem quædã mulier de turbà dixit Iesu: Beatus vẽter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Et reliqua.

LECTIO IX.

HOMILIA LECTIONIS eiusdem: Venerabilis Bedæ Presbyteri.

MAgnæ deuotionis, & Fidei hæc mulier ostenditur, quę Scribis, & Pharisæis dominum tentãtibus, simul & blasphemãtibus: tanta eius incarnationem prę omnibus sanctitate cognoscit, tãta fiducià cõfitetur: vt & præsentium Procerũ calumniã, & futurorũ confundat hęreticorũ perfidiã. Nam sicut tũc Iudæi Sancti Spiritus opera blasphemando, verũ consubstantialemq; Patri, Dei Filium negabant: sic hęretici

ci postea negãdo Mariam semper Virginem Sancti Spiritus operante virtute ; nasciturо ex humanis mẽbris vnigenito, Dei carnis suæ materiã ministrasse: verum cõsubstãtialemq; matri filium hominis fateri nõ debere dixerunt.

LECTIO X.

SEd si caro Verbi Dei secundum carnem nascẽtis, à carne Virginis Matris pronũtiatur extranea: sine causa vẽter, qui eum portasset, & vbera quæ lactassent, beatificarẽtur. Dicit enim Apostolus ; quia misit Deus filium suum factum ex muliere: factũ sub lege. Neque audiendi sunt qui legendum putant ; natum ex muliere, factũ sub lege: sed factum ex muliere. Quia conceptus ex vtero Virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne ; alioquin nec vere filius hominis diceretur: qui originem non haberet ex homine.

LECTIO XI.

ET nos igitur cõtra eutychen his dictis extollamus vocem cum Ecclesia Catholica, cuius hæc mulier typum gessit ; extollamus, & mẽtem de medio turbarum, dicamusque Saluatori: Beatus vẽter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Vere enim beata Parens quæ, sicut ait quidam, enixa est puerpera Regem, qui cœlum, terramque regit per ſęcula ; cuius numen, & ęterno cõplectens omnia gyro, imperium sine fine manet: quæ ventre beato gaudia Matris habẽs cum virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

LECTIO XII.

AT ille dixit ; quinimo: beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

lud. Pulchrè ſaluator atteſ-
tationi mulieris annuit;
non eam tãtummodò, quæ
Verbum Dei corporaliter
generare meruerat: ſed &
omnes, qui idem Verbum
ſpiritualiter auditu fidei cõ
cipere, & boni operis cuſ-
todia, vel in ſuo, vel in pro-
ximorum corde parere, &
quaſi alere ſtatuerint: aſſe-
uerans eſſe beatos. Quia &
eadem Dei genitrix, & in-
de quidem beata, quia Ver
bi incarnandi miniſtra eſt
facta temporalis, ſed inde
multo beatior, quia eiuſdẽ
ſemper amandi cuſtos ma-
nebat ęterna, qua ſentẽtia
ſapientes Iudæorum clam
percutit, qui Verbũ Dei
non audire, & cuſtodire:
ſed negare, & blaſphe-
mare quære-
bant.

(✠)

GRANATÆ, Ex Typographia Regia, apud Balthaſarem de Bolibar, in vico de Abenamar. Anno à Natiuitate Domini 1659.

Superiorum permiſſu.